

- At Chalybes nudi ferrum, virofaque Pontus
 Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
 60 Continuo has leges, aeternaque foedera certis
 Imposuit natura locis, quo tempore primum
 Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
 Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae
 Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
 65 Fortes invortant tauri, glebasque jacentes
 Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.
 At si non fuerit tellus foecunda, sub ipsum
 Arcturum tenui sat erit suspendere fulco:
 Illic, officiant laetis ne frugibus herbae:
 70 Hic, sterilem exiguus ne deferat humor arenam:
 Alternis idem tonsas cessare novales,
 Et segnem patiére situ durefcere campum;
 Aut ibi flava seres, mutato fidere, farra,
 Unde prius laetum filiqua quassante legumen,
 75 Aut tenues foetus viciae, tristisque lupini
 Sustuleris fragiles calamos, silvamque sonantem:
 Urit enim lini campum seges, urit avenae:
 Urunt Lethaeo perfusa papavera somno.
 Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
 80 Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve
 Effoetos cinerem immundum jactare per agros.
 Sic quoque mutatis requiescunt foetibus arva,
 Nec nulla interea est inaratae gratia terrae:
 Saepe etiam steriles incendere profuit agros,
 85 Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis;
 Sive inde occultas vires, & pabula terrae.